

## Die Urkunden Karls des Großen, 84a

(C.) Carolus gratia dei rex Francorum et Langobardorum vir inluster. Quicquid enim ad locis sanctorum venerabilium congruenter ob amore dei concedimus vel confirmamus, hoc nobis procul dubio ad aeternam beatitudinem domino protegente pertinere confidimus. Ideoque cognuscat magnitudo seu utilitas vestra, qualiter venerabilis vir Foloradus abba clementiae regni nostri suggestit, eo quod in amore vel reverentia beatissimi et sancti Dionisii vel Priuati in sua proprietate in pago Alisacense in loco qui dicitur Fulradouilare infra finis Audoldouilare cellam aedificasset vel a novo suo opere construxisset et inantea auxiliante domino et bonorum hominum aedificare velleat, ubi beatissimus et sanctus Yppolitus corpore requiescit, et ut monachi ibidem vivere et secundum rectitudinem vel ordinem sanctam conversare debeant. Propterea nos propter nomen domini et anime salutem, eo quod mercis nostra in eternum permaneat, vel etiam ad petitionem fidei nostro Folorado ad ipso loco superius conscripto aliqua loca silvestria pro oportunitate et stipendia monachorum in pago Alisacense ex marca fisco nostro Quuningishaim in amore beatorum sanctorum Dionisii et Priuati necnon et sancti Yppoliti donamus donatumque in perpetuum esse volumus, hoc est silva ex foreste nostra superius nominata de una parte Laimaha, ubi dicitur Bobolinocella, et inde primitis, ubi Aetsinisbach, venit in Laima; inde vero per Aetsinisbach, ubi ipse surgit, inde etiam Nannenstol, deinde autem de monte usque ad Rumbach, deinde Thidinisberch, deinde in alia Rumbach, deinde autem pergit in Achinisragni, inde in fersta per ducias et confinia, inde per Laimaha fluvio [in valle de] ambas ripas per marca Garmaringa et Otolinga usque Deophanpol et inde per Laimaha fluvio de alia ripa, usque ubi Audenbach in Laimaha confluit, et pergit per ipso fluviolo usque radices Stophanberch per valle sub integritate ipsius monte usque in Stagnbach, inde per Riuad marca Odeldinga et Garmaringa et inde per confinia usque in Deophanpol. Ista omnia per loca denominate marcas et confinia totum et ad integrum infra ipsos finis tam piscatione quamque avis capiendo ad ipso sancto loco concedimus atque pro oportunitate ecclesiae indultum esse volumus et iubemus, ut per tota illa foreste nostra foras ipsos finis denominatas pastura ad eorum pecunia ex nostra indulgentia concessum habeat. Precipientes enim iubemus, ut nullus quislibet de fidelibus nostris neque de iudiciaria potestate qui ipsa casa dei vel rectores eius de ipsa loca denominata inquietare nec condemnare nec contra rationis ordine facere non presumatis nec vos neque iuniores seu successoresque vestri, sed pro mercedis nostre augmentum vel stabilitatem regni nostri in luminaribus ipsius ecclesie vel ad stipendia monachorum ibidem consistentium futuris temporibus proficiat in augmentis, qualiter delectit ipsa congregatione pro nos et uxore nostra etiam et prolis domini misericordia attentius exorare. Et ut hec auctoritas firmior habeatur vel per tempora melius conservetur, manu propria subter firmavimus et de anulo nostro sigillare iussimus.

Signum (MF.) Caroli gloriosissimi regis.

(C.) Rado advicem Hitherii (SR. NT.: subscripsi recognovi). (SI. 1.)

Datavi octavo decimo kal. octubris anno sexto regnante domno nostro Caroli gloriosissimo rege; actum Dura palatio publico.